

**Dissertatio medica inauguralis, de vasis absorbentibus ... / eruditorum  
examini subjicit Georgius Spence.**

**Contributors**

Spence, Geo.  
Cruickshank, James  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, 1790.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kev8cqmq>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**


This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

3




D I S S E R T A T I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S,

D E

Dec 39

V A S I S A B S O R B E N T I B U S.





Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22314799>

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE <sup>3</sup>  
VASIS ABSORBENTIBUS.

QUAM  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

N E C N O N  
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,  
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GEORGIUS SPENCE,

JAMAICENSIS,

Societ. Reg. Phys. Edin. Soc. Hon.

Et Praeses Annuus,

Atque

Societ. Natur. Studios. Edin.

Praeses Annuus.



Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURG:I:  
Apud BALFOUR et SMELLIE,  
Academiae Typographos.

James Buckshank Esq?

as a small token of esteem  
from his friend

the Author.

JOANNI ROBISON, A.M.

In Academia Edinburgena

Physicae Professori,

Societ. Reg. Edin. Soc.

&c. &c. &c.

Animi grati et ingenuæ tacti

Maximis commodis,

Ab ejus

Amicitia et disciplina

Acceptis,

Tenuæ documentum :

Itemque,

М. А. Мозговий і М. А. Ор

Головний діяч міжнародної

інформації

Союзу діячів науки

і техніки

Відомості з Інженерної

і фахової літератури

Союзу діячів

науки і техніки

Інформація

з фахової літератури

Союзу

діячів науки і техніки

Itemque,

JACOBO GREGORY, M. D.

In Academia Edinburgena

Med. Pract. Professori,

Societ. Reg. Edin. Soc.

&c. &c. &c.

Observantiae summae

Argumentum parvum :

Hoc Tentamen Medicum

D. D. CQUE

GEORGIUS SPENCE,

## C O N T E N T A.

SECT. I. *Auctores, qui hanc Anatomes partem praecipue coluerunt.*

II. *Absorbentium vasorum structura.*

III. *Fabrica glandularum conglobatarum et absorbentium majorum cursus.*

IV. *Absorbentium orificia.*

V. *Modus, quo perficitur absorptio, atque vires quibus humores in vasis promoventur.*

VI. *Doctrina attractionis, quae in tubis capillaribus fit.*

VII. *Quaedam ad absorbentium physiologiam et pathologiam pertinentia.*

D I S S E R T A T I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S,

D E

V A S I S A B S O R B E N T I B U S.

§ I.

**P**AUCA notitiae vestigia VASORUM ABSORBENTIUM, quae extant antiquos inter scriptores, quantum novi, in Galeni operibus reperiuntur. Haedino in mesenterio Erasistratus apud Galenum dicitur omnium primus ea, quae LACTEA VASA appellantur, aspexit, sed eadem arterias inanes falso credidisse. Ipsis etiam temporibus Herophilus, ut in illis diebus, maximus Incisor, ipseque Galenus venas in mesenterio quorundam brutorum nutrientes aspexerunt; ex singulis tamen de iis scriptis facile colligitur, illos auctores naturam usumque eorundem penitus ignorasse.

A

Circiter

Circiter anno 1563, Ductum Thoracicum in equo vidi, eundemque venae albae thoracis nomine descripsit Eustachius.

Abhinc annos fere centum sexaginta et octo, Caspar Asellius in canino mesenterio primus vasa lactea manifesto aspexit, eaque leculenter depicta dedit. Haec vero inventa vel admittere noluerunt, vel perperam irriserunt nonnulli medicorum etiam clariorum. Annis demum clapsis triginta, Johannes Pecquet lactea, medio ductu Euustachii thoracico, venis rubris adjuncta, liquido patefecit. Hoc ante tempus terminari lactea in jecinore, viscere *haematopoetico* appellato, crediderunt fere omnes.

Non longum post Olaus Rudbeck, Jolyffe, et Bartholinus, alias vasorum absorbentium partes ante ignotas detexerunt. Nuckius, liquoribus coloratis injectis, *glandulas* eorum implevit, manifestaque vasa reddidit. *Valvulas* Ruyschius, et totam vasorum hujusmodi seriem fatis Meckelius, evolvit. Ad ea inventa atque descripta animum demum attendentes medici, dubitationem

cationem nullam longius foverunt, sed facile absorbentia esse corporis partem distinctam sui generis, fasili sunt.

Glissonus et Hoffmannus probabile primum ducebant, ea vasa originem a cavis ducere, et humores in illis depositos resorbere. Hac de re acriter longumque inter Physiologos disputatum est. Multi, inter quos eminuit Hallerus, *Lymphatica*, sic causa distinctionis dicta, continua extremis ab arteriis esse, censuerunt. Multis demum experimentis institutis a Doct. Monro et Hunter (uter primus nihil ad rem est) perspicuum fiebat, haud arteriis minutis, sed cavis et omni corporis superficie, ea exoriri.

Quibus haec non vasa, nulla forsan existunt animalia. In quadrupedibus, avibus, amphibiis, piscibus, quantum adhuc docuit anatome, reperiuntur absorbentia.

Hanc in arenam, vera atque nova detegendi causâ, inter nos prodierunt autores clarissimi, plurimi, quo-  
rum

rum omnes accensuisse longe limites nobis meti p̄sis im-  
positos excederet. Inter nostrates eminent Sheldon,  
Hewson, Monro, Hunter, atque Cruickshank. Dom.  
Fyfe publicum in conspectum exemplum diligentiae  
mirum protulit. In uno cadavere, Hydrargyro infuso,  
absorbentia omnia, quae hactenus ab auctōribus sunt  
inventa et descripta, implevit et visibilia reddidit. O-  
pus hoc, Hercule, arduum, et non nisi, scientia par-  
tium accurata et animi patientia indefessa perficiendum!

In his, qui nostris temporibus sibi res in hoc campo  
detectas vendicārunt, Mascagnus accensetur scriptor  
Italicus. Is absorbentium quorundam, icones quorum  
faciendas curavit, in cerebri basi et pia matre invento-  
rem se jaētat \*.

\* Vasorum Lymphaticorum corporis humani Historia et Ichno-  
graphia, Auct. Paulo Mascagni: ad Tab. 27.

## § II.

ARTERIAE atque venae, ut jamdiu anatomicis notum est, tunicis seu laminis diversis constant, quae in majoribus truncis clarius conspicienda sunt; in minutis autem tam arcte haerent fibi invicem, ut solum ex tunica simplici componi videantur.

Ante Nuckii tempus, absorbentia vasa unica ex membrana tantum conflari crediderunt plerique auctorum, quam simul haud multum absimilem intimae venarum vel arteriarum statuerunt. Excultior autem Anatome et observatio accurasier nos fecerunt certos, ea, ad minimum, ex membranis vel tunicis duabus constare, quibus textus cellulosus laxior circumdatur. Quae huic textui statim subjicitur, ea tunica fibrata, quod in majoribus truncis, maxime ductu thoracico, videre est. Haec tunica, quippe quae motus perficiat et vim contrahendi, quoties ei admoti fuerint stimuli idonei, ostendat, musculosa recte nuncupatur. Cum

hoc

hoc modo construantur absorbentia, recusabit forsitan nemo, vi musculosa et irritabili gaudere. Insuper, iidem non defunt vasa sanguinem vehentia, vascula vasorum salutata, quibus, nimis, nutriantur, aptaque ad sua munia obeunda sint. In truncis eorum sentiendivis, quod ab experientia patet, parum exquisita videtur, quippe quae quomodounque vehementius irritata vix doleant; glandulae autem, quas in decursu transeant, sensum paulo acutiores habent, quo fit, ut inflammatae dolorem saepe immanem faceant.

Denique, haud praetermittendum est artificium illud naturae, quo in absorbentibus humoris resistitur, ne retrogrediatur; in eorum scilicet cavis disponuntur valvulae quales venis sunt; quarum facies convexa ad extrema tenuiora spectat, et ad majora, concava. Sine ordine statu occurunt; simplices interdum, saepius vero duplices, oriuntur, ut in venis, ex intima absorbentium tunica.

## § III.

Ductus, qui lympham plus minusve coloratam in corpore vehunt, plerosque apud autores dividuntur in lymphaticos strictius dictos, et lacteos : Hi a tubo toto intestino, illi ab omnibus fere partibus reliquis, incipiunt. Quoniam autem utrisque nulla, quod ad usum generalem et structuram spectet, differentia interponitur, haud male fecerimus forsan, si nominibus iis rejectis diversis, absorbentia omnia salutamus. Ad haec vascula absorbentia pertinent noduli quidam rubentes, propter figuram iis communem glandulae congregatae dicti ; has plures paucioresve transeunt omnia fere vasa anteaquam humores suos subclavias in venas effundant. De glandularum structura, et praesertim fabricatione interna, parum inter Anatomicos convenit : Cellulosam esse voluerunt nonnulli, aliis placuit vasa per earundem substantiam continua esse, et quot intrare vascula, tot glandulis postea exire.

Experimenta adhuc defunt plurima, ut lis dirimatur. Hoc certe ab omnibus conceditur, quod absorbentia plurimis ramulis introeunt, plurimisque opposito ex latere glandulae ejusdem sese plerumque produnt. Simul verosimile fatendum est, vasa, quae iis prodeant, a cellulis internis, orificio ad resorbendum apto instructo incipere.

Non harum glandularum magis obscura atque ignota fabrica est, quam earundem usus: Omnes auctorum contentiones et opiniones hac de parte prolatas percurtere opus foret peringratum atque inutile: Igitur his praetermissis, quibus in partibus discurrant, atque modo quo vasa praecipua distribuantur, paucissimis proxime inquirendum.

In partibus corporis extremis, ac in aliis fere omnibus, absorbentia in superiora atque inferiora distinguuntur. Quae mox infra cutem, vel membranas visceribus circumdatas, reperiuntur, ea superficiaria vasa appellantur; quae autem penitus, hoc est, inter musculos eorumque fibras, atque in visceribus intimis, dis-

currunt,

currunt, profunda dicuntur. Ea omnia in nulla re, praeter loco occupato, a se invicem differunt.

Extremitatum inferiorum vasa superficiaria originem a summa cute ducunt, et humores extrinsecus absorbent. Pede ab extremo, variis ac inflexis cursibus, secundum crus et femur, ad inguina usque properant, et, si non ante, hic regionum in glandulas *botryoides* inferiores desinunt. Huc quoque veniunt inferiora, quae sunt inter musculos femoris sita vasa; simul alia glandulis superioribus inguinalibus, a pudendis et natibus oriunda, accedunt.

Vasa, quae ex his glandulis proceſſerint, abdomen intrant, et marginem pelvis supergressa lumbos scandunt in ductum thoracicum desitura. De vasis, profundius sitis, hoc est adhuc observandum, quod praecipui rami arterias venasque principes cruris et femoris comitantur.

Absorbentia, quae a visceribus positis in pelvi nascentur, cum supra comprehensis conjuncta *Ductus* ini-

tium *Thoracici* adeunt omnia. Eo insuper singula, quae ab ipsis lumbis incipiunt, et abdominis parietibus, feruntur. Quae sunt intestinorum tenuum atque crassorum, inter mesenteriae et mesocoli laminas repunt, glandulas plurimas transeunt, et demum tertiam ad vertebram lumborum aut secundam ita conveniunt, ut ad *Ductum Thoracicum* efformandum multum conferant. Huic quoque apud initium illabuntur nonnulla e ventriculo, splene, pancreate, et jecinore orta; alia, maxime superficiaria hepatis, diaphragma transeunt, et sursum, nomine *Ductus seu Plexus Thoracicus anterior* iis indito, ascendunt ductui posteriori prope finem conjunctura. Cum his proximis congregantur ea pleraque a pulmone aliisque visceribus in thorace haerentibus redeuntia; quae vero ad costas et pectus pertineant absorbentia, ductui in cavu pectoris ascendi fere ut plurimum adjungunt.

Absorbentia, quae lympham superioribus ab extremitatibus revehunt, subclaviis venis, singula iis sui lateris, inseruntur. In latere dextro rami quatuor insignes a capite, collo, glandula thyroidea, et brachio orientes, truncum brevem, sed fatis amplum, efformant, qui

in subclavia dextra aperitur. Ea, quae in sinistro latere ex iisdem partibus oriuntur, plerumque cum summo ductu thoracico conjunguntur.

§ IV.

Pauca de absorbentium orificiis antea dicere necessarium duxi, quam de eorundem reforbendi vi quicquam statuere progrediar. Hanc anatomes partem diu obscuram, et caligine densa obvolutam, viderunt medici, scilicet, quam accurate oculus inermis neutiquam capere potuerit. Hactenus quidem, juvante etiam microscopio, arteriarum exhalantium fines aciem anatomici penitus effugerunt. Quin et oculum etiam armatum tenuissima absorbentium oricia in omni, praeter intestina, corporis parte celantur.

Hinc orta summa difficultas veram orificiorum, cum absorbentium, tum excernentium vasculorum fabricationem explicandi, est.

Omne fere, quod de hac structura novimus, experimentis et observationibus Hunter, Hewson, et Cruickshank debetur. Dum orificia eorum nullo modo aspicere in summa cute aut cavis corporis majoribus potuerunt, faciem intestinalis internam majore cum successu scrutati sunt. In iis plurimi propendent villi aspectu satis faciles, singuli quorum arteriis, venis, nervis, absorbentibus, tenui cute et tela cellulosa, constant. Haec vasculorum et textus cellulosi congeries *Ampullulam*, qualem falso putavit Leiburkuhn, constituere videtur. In horum singulis villorum aspergit Cruickshank, simulque Hunter, orificia absorbentia quindecim et plura, omnia liquore albido distenta.

Ab hisce orificiis incipiunt vascula, quae prope radicem forma radiorum ad unicum, villo cuique communem, truncum efficiendum convergunt; hic truncus mox cum aliis vicinis conjungitur, amplum demum vas lympham vehens efformaturus.

Hoc ipso modo, ut opinatus est Cruickshank, resorbentia ex cellulis glandularum congregatarum oriuntur:

Sique

Sique fas ex *analogia* concludere est, modo nec absimili  
ubique corporis exoriuntur.

## § V.

Tandem eam ad dissertationis partem, in qua modus  
est considerandus, quo perficitur *absorptio*, atque vires,  
quibus corporis interiora versus humores absorpti pro-  
pellantur, perventum est. Ex quo tempore auctores  
fuerant facti certiores, absorbentia vasa a finibus patulis  
omnibus in cavis et corporis superficie incipere, ex illo  
hucusque extiterunt disputationes graves de modo *ab-  
sorptionis*. Duae opiniones nunc temporis medicorum  
attentionem praesertim fibi vindicant. Altera *abso-  
ptionem* tribuit virtuti penitus simili ejus, qua humores a-  
quosi in cylindro tubulato, e vitro vel quovis metallo  
facto, ascendere solent: Haecce vis vulgo *Capillaris At-  
tractio* nuncupatur. Opinio altera attribuit absorbentium  
vasorum extremitatibus et orificiis vim quandam  
vitalem, et actionis talis capacem, qualis, non modo  
humorem quemvis, sed quoque solidiora, osculis apte  
admotis,

admodum, sorbere possit. Parum tamen negandum est, utriusque opinioni obscura esse multa, quae, si omnia proponerem, nimis longe a proposito abducerent.

Argumentis omnibus, quae hanc et illam sententiam defendunt, probe perpensis, plurimum animo adducor, ut *Thesin*, quae *absorptionem* posuit a Lymphaticis perfici eadem potestate, qua in tubis capillaribus elevatur aqua, anteponam.

Haec vis capillaris, si ita dicere fas est, quae vasculis inest absorbentibus, tantum prope eorundem extrema agit, et non nisi ad distantiam exiguum fluida attracta promovere valet: Quam ob causam, aliae necessariae sunt vires, quae humores jam absorptos ad extrema vasorum majora usque propellere possint. Consilio huic inservientes potestates sunt, *1mo*, Musculosarum contrac-tio fibrarum, quibus praedita absorbentia sunt: Attrac-tum enim fluidum stimulo, cum propter distensionem, tum irritationem, quas creat, vasis est. *2do*, Compre-f-sio, quam actione muscularum iis incumbentium pati-untur absorbentia. *3to*, Arteriarum pulsus, quae ubi- que

que vasis lympham vehentibus, maxime profundius sitiis, vicinae discurrunt. Vix autem suffecissent hae omnes propellentes vires, ni absorbentia valvulis quibusdam instruerentur, ad motum fluidorum retrogradum impediendum, quod aliter quodammodo factum fuisset \*.

Lymphae progressus tardius aut celerius, prout maiore vel minore virtute polleant potestates eam promoventes, perficitur. Totius corporis debilitas cum fibris absorbentium moventibus communicatur, et humoris cursum tardiorem reddit; vigor earundem et robur effectum contrarium praefstat. Vitae quoque genus otiosum atque deses *absorptioni* atque progressui lymphae in vasis obstat. Hinc clarum videre est, quam multum exercitatio, fricatio, et medicamenta roborantia, in aqua intercute sananda possint.

## § VI.

\* Hanc celandum est, quod in piscibus valvulas absorbentium haud reperimus; sed positio quam naturaliter in natando servant parum eas requirit, quo lymphae progressus promoveatur. Eadem forsan ob causam, in homine multo rariores in collo et capite quam in artibus inferioribus observantur.

## § VI.

Cum attractionis in tubis capillaribus doctrina a plurimisque male intelligitur, haud mihi absolum videtur, huic Tentaminis parti ejusdem rationale, magna ex parte novum, paucis, quam potero, intexere.

Theorias quidem plurimas, quo rationem aquae ascensus in tubulis capillaribus reddant, scriptores physici struxerunt. Eae pleraeque pro causa aëra habuerunt, qui, ut censent isti auctores, aquam in tubo minus quam in cisterna ampliore premit. Hujuscem preffionis inaequalis varias, prout cuique libuerit, ratiunculas reddiderunt, quas hic loci proponere supervacuum effet.

Eas, experimentis institutis, satis refutavit Dom. Hauksbee, qui eadem phaenomena in vacuo atque aëre libero obtainere primum demonstravit. Insuper, idem philosophus ascensionem aquae attractioni cuidam, quae eam inter et tubulum capillarem est, facile ascripsit.

Hanc




FIG. 1.





FIG. 2.



FIG. 3.



Hanc theoriam emendare et corrigere tentavit Jurin; hic enim, suspendii causam esse attractionem fluidum summum suspensum inter et eam tubi peripheriam, cui contingit atque adhaeret ipsissima superficies ejusdem fluidi, arbitratus est. In animo est hanc hypothesin, quam philosophi recentiores fere omnes amplexi sunt, quantum potero, contradicere. Illam enim esse vanam, ratiocinatio, quae ab illust. Professore Robison instituta est, plene comprobavit.

Longim physicis pernotuit, tenui vitreo tubo A I (Fig. 1.) cisterninae aquae, cujus Q R superficies et M N fundus ponatur, immisso, aquam in tubuli cavo ad B (puta) esse ascensuram, et columellae altitudinem aquae in cisterna superficie majorem vel minorem esse, prout gracilior aut crassior fuerit tubulus.

Hoc phaenomenon mutuae attractioni, quae est vitri particulas inter et aquam, tribuendum.

Puta hanc mutuam aquae et vitri attractionem ad distantiam O P extendere: Puta quoque aquam columel-

Iarem A I ad M N, cisternae scilicet fundum, continuari. Fiant EF, DE, FG, HI, IK, KS, ST, LM, AB, BC singulatim = OP. Aqua columellaris EF sic vitro DE attrahitur, ut minuitur gravitas; insuper attrahitur vitro FG, sic ut gravitas augetur. Similiter aquae columella KS suam gravitatem aquae actione in IK imminutam, auctam vero aquae, quae in ST est, actione, habet: Illius autem aquae in IK gravitas vitri HI actione minuitur, et simul aquae columellaris KS actione augetur: Eodemque modo, gravitas columellae cuiuslibet, *v. e.* EF, vitri vel aquae, quae supra ponantur, actione imminuitur, atque vitri vel aquae, quae infra ponantur, attractione augetur.

Attractionem cuiusvis columellae aquae, veluti EF, quae inter ipsam et vitrum superne vel inferne circumpositum intercedit, *g* denotet: Sit *w* symbolum attractionis, quae inter eandem EF columellam, et aquam mox supra vel infra circumpositam, est, EF : BK =   

$$g : \frac{g \times BK}{EF}, = g : \frac{g \times BK}{OP}$$

Sed EF, instituta proportione, est ad BK, ut inter aquam in EF et vitrum supra positum attractio, ad eam attractionem, quae est inter totam columellarem aquam in BK et vitrum ei suprapositum, existit. Quocirca, universalis aqua in BK vi =  $\frac{g \times BK}{OP}$  sursum tendit. Eodem

modo aquae columnna, quae in KM est, vi =  $\frac{w \times KM}{OP}$

ascendit: Hinc tota columnna BM sursum, vi =  $\frac{g \times BK}{OP}$

+  $\frac{w \times KM}{OP}$  tendit.

Columella BH, vi =  $\frac{g \times BH}{OP}$ , deorsum, et columnna HM, vi =  $\frac{w \times HL}{OP}$ , vel  $\frac{w \times IM}{OP}$ , quoque deorsum tendit; namque parum deorsum tendit LM, quippe in quam cisternae fundus minime agat, vel quamvis in eam agat, tamen columella ipsa ab actione columnarum adstantium in aequilibrio hydrostatico tenetur: Idcirco, columnata tota BM, deorsum vi =  $\frac{g \times BH}{OP} + \frac{w \times IM}{OP}$  tendit.

Differentia, quae inter motum sursum proclivem eun-

demque

demque deorsum, est  $g \times \frac{BK - BH}{OP} - \frac{w \times IM - KM}{OP}$ ,

hoc est,  $\frac{g \times HK}{OP} - \frac{w \times IK}{OP} = \frac{g \times 2OP}{OP} - \frac{w \times OP}{OP} =$

$2g - w$ ; igitur columnae BM gravitas, secundum quantitatem  $2g - w$ , diminuitur; et quaecunque fuerit columnae longitudo, res prorsus ita se habebit.

Ergo, columella, de qua agitur, nunquam ad aquae in cisterna superficiem descendet, sed eam apud altitudinem, ubi gravitas ejus aequalis illi columnae cuius in cisterna erit, manebit; hoc est, aquae pondus, quae supra aquae cisternae superficiem in tubo est  $2g - w$  erit.

Praegressa ex ratiocinatione hanc petimus conclusio nem, quod, suspensa omnino de aequilibrii defectu in duabus HI et IK columnis pendet: Nam particulae singulae in spatio BH in aequilibrio exacto existunt; contra, aqua columellaris HI, IK, vitro sursum et aqua deorsum attrahitur, et columnae IK attractio, quae deorsum est, in aequilibrio hydrostatico, propter attractiorem columnarum vicinarum, aequalem tenetur.

## C O R. I.

Fluidum in tubulo quam cyatho altius ascendet, quamvis mutua fuerum partium attractio major, quam fluidum inter atque tubi particulas, existat, dummodo ne duplo major: Namque si  $g$  major  $\frac{1}{2} w$  sit,  $2g - w$  positiva erit quantitas.

## C O R. II.

Fluidi eadem erit altitudo, si orificium tubi inferius aquam summam solummodo attingat. Namque aqua extra tubum, sed intra actionis ejus sphærā posita, vi  $g$  sursum adurgetur. Aqua in annulo tubi infimo sursum quoque vi  $g$ , et deorsum vi  $w$ , movetur; quo pacto, columnā tota vi  $2g - w$ , ut antea sursum impelliatur.

## C O R.

## C O R. III.

Fluidum quodvis altius in tubulo gracili scandet, quam cui lumen amplius est; namque distantia, ad quam tenditur vis attrahens, si rationem diametri etiam minimae visibilis habeas, admodum exigua est; et ideo haec virtus ad tubi peripheriam tantummodo agens haberi potest. Hinc  $2g - w$  peripheriae illi et, ex consequente, tubi diametro proportionale, dum aquae copia, in tubulo definitae longitudinis contenta, diametro quadratae proportionalis erit. Si igitur tubi A diametros sit tubi P dimidio tantum aequalis, vis suspendens, et consequenter aquae suspendiosae pondus, non nisi dimidium, sed eodem tempore altitudo in tubo A duplex, erit. Quoniam experimentis institutis invenitur, altitudines, ad quas ascendere solet aqua, tuborum ratione inversa diametrorum existere, facile concludendum est, distantiam, ad quam agit vis attrahens, esse revera, quam visibilis ulla diameter, multo minorem.

Sunt

Sunt autem experimenta, quae hanc distantiam parum pollicis  $\frac{1}{800}$  partem excedere docent \*.

#### C O R. IV.

Si  $2g$  minor  $w$  sit, fluidum in tubo inferius quam in cisterna erit. Hoc observabitur, si tubus capillaris vietreus in Mercurio immergatur.

#### C O R. V.

Si tubus partibus AB, BC (Fig. 2. et 3.) duabus diversarum diametrorum constet, ita ut, toto tubo diametri ejusdem ac AB facto, aqua ad altitudinem GF, toto autem ejusdem diametri ac BC facto, aqua ad GE altitudinem, sustineretur, tum aqua ascendet et suspendetur ad F vel E, prout superior fuerit extremitas A vel C posita. Namque vis  $2g - w$ , diametro tubi

AB

AB respondens, symbolo  $a$ , et vis  $2g - w$ , diametro tubi BC respondens, symbolo  $c$ , signetur; tum in Fig. 2. apud A vis  $a$  sursum, apud B vis  $a - c$  deorsum ageret: Hanc illi subtrahas, et vim  $c$  sursum agentem habebis. Sed in Fig. 3. apud C vis  $c$  sursum, et apud B vis  $a - c$  quoque sursum agens tibi erit: Hasce vires si coaddideris vim  $a$  sursum agentem habebis. Denique, in Fig. 2. fluidum apud altitudinem GE, et in Fig. 3. apud GF, suspendatur oportet. Sic apparent, phænomena, quae fecerunt, ut Dr Jurin altitudinem fluidi superiore de tubuli orificio pendere crederet, et columellam attractione sola annuli vitrei, mox supra aquae superficiem positi, suspendi, ea theoriam modo stabilitam necessario consequi.

Haec theoria primum a CLAIRAULT, sua in dissertatione de *orbis terrarum figura*, in lucem prolata est; diu autem in hoc tractatu neglecta, et formula algebraica involuta latebat. Attractionem in tubis capillaribus observatam hicce auctor nihil aliud esse judicavit, praeter inclinationem illam mutuam, quae omnis materiae est, quaeque, primum a NEWTON plene detecta, gravitatis universalis

universalis dicta fuit. Idem affirmavit CLAIRAULT fluida tantummodo in tubis, gravitas quorum *specifica* ejus quae fluido competit circumposito dimidium superat. De his autem certo fallitur, namque in penna aqua, in tubo stanneo mercurius, ascendit. Praeterea altitudines, ad quas tubis idem fluida diversa elevare potest, haud-  
quaquam in ratione inversa gravitatis *specificae* fluido-  
rum observantur; tubulus enim qui alkali volatile cau-  
sticum ad altitudinem pollicis  $\frac{63}{100}$ ; aquam ad  $\frac{4}{100}$ , Spi-  
rit. Vinorum ad  $\frac{25}{100}$ , oleum Teberinth. ad  $\frac{14}{100}$  ejusdem  
mensurae altitudinem, sustinet.

Multo igitur verosimilius est, attractionem capillarem dictam, esse opus distinguens affinitatum quarundam mechanicarum, quae ad varia sensibilis materiae genera pertinent, eaque, quo modo res diversas, caloris et mis-  
turae respectu, chemicae affinitatis, insigniunt. e

Cum adhuc, quo absorbentia suos humores hauriant,  
modus philosophis quadantenus incertus extitit, mihi  
talem vim proponenti, qualis tubis capillaribus contin-  
git, visum est, leges, quibus paret eadem vis, claras es-

perspicuas, quantum potui, reddere : Quocirca, necessarium, consilio sententiam meam illustrandi, duxi, ut Demonstratio Mathematica, nusquam hac forma eadem edita in lucem, proferatur. Eo libentius ad hanc Dissertationis partem animum intendi, quo Theoria, quae mihi item Physiologis plerisque jucundior est.

Siquidem, igitur, supra clare commonstratur, vim attrahentem, capillaribus in tubis, extremum ad orificium eorundem existere, nihil, ut opinor, obstat, quin concludamus, lymphatica vasa suos humores quoque reforbere vi quadam, in ipsis extremis posita, nec ejus omnino absimili, qua gaudent tubi capillares ; parum vero negandum, ut infra annotabitur, est, muscularias multum adjuvare fibras, quae plurimae et tunicis et absorbentium vasorum vasculis insidant.

Huic quidem theoriae, quam ipse fovi, objectum est, quod attractionis capillaris leges, quae non variae in tubulis rigidis, veluti vitreis vel metallicis, observantur, minime tamen ad eos, qui materia molli, flexili componantur, quales sunt ille textus cellularius et fibrae mu-

culofae ;

culosae, unde constituuntur absorbentia, accommodantur. At me tamen a Professore Robison experto confirmatum habui, leges, imprimis, quas observant tubi rigidi, metallici, eisdem penitus tuborum, qui ex materia quacunque, etiam mollissima, fabricantur, actionem gubernari; et, demum, nihil, praeter certum actionis repellentis gradum, inter humores, scilicet et tubi materiem, vel, inter ipsius humoris particulas, cohaesitionem validam intercedentem, hujuscemodi attractioni obsistere posse. Est quoque ejusdem rei argumento, quod aqua alijsve humor super externam rerum multarum superficiem, nec non inter duas superficies laeves, planas, sibi invicem paulo arctius appositas, ascendat. Prorsus ejusmodi attractio in tubis flexilibus demonstrari facile potest; hujuscce manifestum exemplum est ea attractio, quae spongium inter et aquam intercedat.

### § VII.

Vasorum absorbentium bifariam spectat actio. Imprimis fana et, ut aequum est, constans generali corporis

ris sanitati subservit ; et denique, deficiens, praeter ordinem fortis vel abnormalis mala adfert multa, quae aegre sanationem admittunt. Pathologia haec et illa Physiologia absorbentium salutari potest.

Quod sanam ad actionem attinet, eam quinque in capita distinguere libuit.

imo, *Absorbentia chylum hauriunt*. Humor lacteus, chylus, qui dicitur, ex alimentis paratur, et corporis nutrimento, incremento, et renovationi sacer est. Praesertim ventriculus eum conficit, sed, tamen, praeterea adjuvant Jecur, Pancreas, et Intestina tenuiora. Alimentaria massa per intestina in descensu Lacteorum officiis hiantibus admovetur, a quibus fluidae absorptae partes in sanguinem devehuntur.

Hicce humor frigefactus sponte coagulatur, eoque facilis, quo purior fuerit. Globuli, per microscopium aspecti, qui sunt in eo, multo exiliores quam qui in sanguine conspicuntur ; et eorum globulorum figuram, qui in lacte vaccino reperiantur, admodum referunt.

Chylus,

**Chylus,** Cruickshank teste, eodem per plures dies seposito et conservato, parum facile in putredinem ruit. **Hoc** cuidam acori tribuitur, quem in eo latere censuit Hallerus, quemque sanguinis resistere putredini affirmavit. Nostro autem judicio, nec chyli acor, neque ad putredinem proclivitas in sanguine tam insignis, quam judicarunt multi, clare comprobati sunt.

*2do, Humorem aquosum, vulgo Lympham, resorbent.*  
**Vasa**, id genus, de quo loquimur, insunt omni, praeter intestina, ubi vocantur *Laetea*, corporis parti, et humorum subaqueosum vehunt; hinc iis est nomen LYMPHATICA inditum. Hicce humor satis liquidus est, pellucidus interdum, saepius vero straminei coloris, vel subflavus. Ex suis detractus vasis, vel partim vel ex toto cogitur, nullo adhibito artificio, eoque facilius, quo valredo, ut fertur, animali prosperior constitit. Minime adhuc constat, an mox humor aquosus ab exhalantibus effusus sponte coagulatur necne.

Hic latex a corporis cavis internis tum magnis, cum parvis, in quae effusus fuisset a vasibus absorbentibus ad

lubricam

Lubricam superficiem, motumque facilem reddendum, affatim hauritur.

3<sup>to</sup>, *Absorbentia superficiaria aëra aliaque fluida cuti admota hauriunt.* Erafistrato, et Galeno, et Hippocrati fuit opinio, ut ex scriptis apparet, aëra in corpus per cutis foramina recipi. In sanguine invenitur; nam, facta ejusdem in vasis clausis idoneis distillatione, clar. Hales circiter totius massae  $\frac{1}{30}$  constare aëre reperit. Aëris vero connubium cum sanguine tam firmum, ut nullo modo, nisi forsitan putredine, vel distillatione, dissidere possit. “ Valde spumat, in spatio inani, urina et succus amnii; in ovi albumine multus est aër; “ ex sanguine vero difficulter prodit, Muffchenbrokio “ teste.” Quod superficiaria humores orificiis applicatos hauriunt, hoc probe est notum, et ab omnibus fere conceditur. Quisnam experimenta a cl. Home hac de re facta non legerit? Quis ejusmodi nec pauca experientia multis quidem ab aliis philosophis instituta, quae consensu generali absorptionem fieri semper per cutem comprobarint, non audita saepe habuerit? Insuper docent, si quando aquae, etiam falsae, immergatur corpus, fitis extinctio, ususque Paracelsi, qui laborantem Dy-

phagia quendam, juscula et alia nutrientia corporis superficie adhibendo, multos dies sustentavit.

4to, *Vasa Absorbentia sibi solidas corporis partes attrahunt.* Haec plurimis a factis functio confirmatur. Docent imprimis, ea ponderis, quae in seniorum ossibus fieri diminutio solet; tumorum, qui quoddam propter vitium innati ossibus longis fuerint, amotio spontanea; materiae defectus terreae eorum, qui *Mollitie Ossium* tentantur, ossibus incidens; et, demum, terra calcarea, quae, vaporata Rachiticorum urina, insigni fere copia reperitur. De modo, quo haec sit *absorptio*, minime inter medicos convenit: Opinatus Dom. Hunter ut, vas absorbentia solidas removere partes, actione quadam inversa atque ei opposita, qua nimirum arteriae nutrientes easdem deponant: Hancce actionem comparavit cum illa, qualis sit cunque, volvocis sive eritcae, dum herbarum folia comedit: Idem credit philosophus, ea vasa sic sepe extendere, quinetiam oscula sua, quocunque velint, ita dirigere, posse, ut remota devorent, et ossa mortua, et si procul sita, penitus removeant.

E contrario, clar. Monro, maximus inter recentiores incisor, et ingeniosus Physiologus Cruickshank, putarunt multo verisimilius esse, ossa aliquatenus ante fieri fluida, soluta, quam resorbeantur. Est quidem satis probabile, ea vel quodam liquore ex industria secreto dissolvi, vel subire quandam *fermentationem* caecam, parum ei absimilem, quae vino in doliis vel utribus reposito contingit. Haecce mutatio, qua os solidum in fluidum, absorptu aptum, convertitur, ut placuit Cruickshank, de principio vitali solum pendet, et, idcirco, nusquam, nisi partibus vivis, contingere potest. Solutio enim ossium mortuorum prorsus aliis generis esse videatur. An partes solidae moliores, quae, distinctionis causa, sic vocantur, vi quadam simili prius solvantur, quam resorberi idoneae fiunt? Ipse ita judico.

Qui vim specialem vitalem, qua attrahuntur partes fluidae solidaeque, absorbentium defendunt, iidem quoque contendunt, vascula extrema haud omnia quaecunque promiscue resorbere, sed, alia dum, ad libitum quafi, rejiciant, alia magis optata haurire, quod vero, inquiunt, nunquam facerent, si sola iis inesset, qualis judicatur,

dicatur, vis ejusmodi ac in tubis capillaribus. Quid autem dicendum est de ipsis experimentis, quae viam feligendi omnino improbant? Hallerus et Mascagnus imbutos colore vario liquores, Hydrargyrum, Sanguinem, Aëra, caeteraque fluida, diversas corporis in civitates injecerunt, et, semper paucas post horas vicina vasiva absorbentia fluidis antea infusis turgere inveniuntur. Insuper, hauriunt multa plane sanitatem inimica, ab quibus, si absorbentia vi feligendi fuissent praedita, summa cura certe praecavissent.

5to, *Vasa Absorbentia res varias medicamentosas inhalant.* Id, quod medendi consilio frequentius summae cuti ut absorbeatur, applicamus, Hydrargyrum est, et ex eo praeparata. Hoc metallum aegrotantibus nec raro auxilia præsentia præbet: Cum oleo seu adipe commixtum et probe tritura comminutum, vascula superficiaria facile ingreditur, et effectus suos in corpore, perinde ac per os adhibitum, præstat. Cathartica et diuretica quaedam, modo eodem adhibita, effectus jucundos, aliquando quoque edunt. Hisce viis sulphur frequentissime et interdum Cantharides in corpus introduci solent.

lent. Ea autem omnia multaque alia medicamenta personas dantur; quae tunc per vasa lactea intrant corpus, effectus sui proprios praestatura.

Quod absorbentium pathologiam attinet, ea distingui  
quatuor in capita potest.

imo, *Vires adeo deficiunt, ut nec fluida nec solida, ut par est, resorbere possint.* Opinatus Ruyschius est, cum quo Morgagnus et Hunter postea consenserunt, *Lactea senioribus vasa maxima ex parte, interdum omnino, concludi.* Argumenta tamen hujus sententiae desunt directa: Neque, conclusis iis omnibus, corpus, etiam pauculum, sustineri, nedum nutriti vel refici, ut decet, possit. Hoc planum facit *Tabes Mesenterica lethalis*, quo in morbo glandulae congregatae adeo tument atque obstruuntur, ut injecta etiam maxime penetrabilia ferri thoracicum in ductum nequeant.

Interdum fit, ut vasa resorbentia, quamvis orificia fluidis immersantur, nihil omnino hauriant. Hoc, cum saepe fit, dum nullo modo obstruantur, ut mihi persuasum

persuasum est, debilitati vel generali, vel partiali, tribendum. Namque, quanquam revera *absorptio* per quandam attractionem vasa inter et humores intercedentem fiat, tamen, ut supra comprehensum, status musculorum sanus eam ad promovendam omnino est necessarius. Absorbentia per totam longitudinem fibris musculosis instruuntur, et tunicis eorum plurima sanguinem vehentia vasa distribuuntur, quae musculis quoque gaudent. Functio eorum igitur defecit, propter vim fibra- rum musculosarum in tunicis, quacunque ex causa perditam, unde vasa elanguescunt ; extremitates flaccescunt et collabuntur, sic, ut inhabiles humori suo resorbendo penitus fiant. Insuper, eorum vi propria deficiente, vasa vasorum minime, ut par est, sanguine implentur, cuius certa copia in extremis absorbentibus, cum ad actionem eorum sustinendam, tum ad oscula patefacienda, necessaria est : Hinc vero nec tamen patent, nec eriguntur lymphatica, ut humores circumfusos exforbeant.

Vero simile tamen est musculos, qui extrema regunt absorbentia, sicut in corpore omnes, parum semper intendi, sed stimulis quibusdam parere modo sanam, mo-

do morbidam actionem, gignentibus. Oficiis eorum fanis stimulis naturalibus sunt aér et liquores, quicunque absorbeantur: Si quando ii defecerunt, vel minus justo intense stimulent, inertia evadunt vasa; si nimium intendantur stimuli sic, ut vim muscularum obruant, imparia quoque muneri suo fiunt. Hinc in Hydrope medicamina stimulantia et roborantia, quae vigorem universi corporis, et igitur absorbentium, reficiant, aliquando mirabiliter profundunt. Si tamen (dolendum est) longe processerit debilitas vasorumque laxitas, aegerissime vires corpori redduntur, et incassum optima remedia administrantur. *Diatheſis Hydropica*, quae tam saepe in ore medicis est, de hac absorbentium infirmitate, et simul exhalantium laxitate, difficillime plerumque sananda pendet. *Vide First Lines*, § 1664.

*2do, Absorbentia dum hauriunt ea, quae in corpore parum decet, varios inducunt morbos.* Si fit in vesicula, ductu obstruēto communi, parumper copia solita majore detineatur, inde a vasis absorbentibus hauritur, et mox sanguini diffusum producit Morbum Regium. Lac in puerarum mammis, febre superveniente, aliquando subito

subito exforbent lymphatica, cumque sanguine iterum commiscent. Denique, partes ossium terreae absorptae tam flexilia eadem atque mollia faciunt, ut corporis ponderi sustinendo non inferviant.

*3tio, Quaedam, morboſis ex humoribus absorptis, quae in corpore lateant, vitia exoriuntur.* Probabile quidem est, contagiones multas cuti summæ atque intimis bronchiis applicatas, et aliquandiu iis adhaerentes, absorbentium ostia ingredi, et eo modo corpus inficere. Hac, faltem, ipsa ratione, contagio in variolis inferendis recipitur. Pars, nimirum, cui applicetur materia, primum inflammatur, et dein in suppurationem specialem abit, hoc est, pustulae gignuntur; pus inde reforbetur contagione imbutum, quod totum per corpus diffunditur, ejusmodi pustulas in aliis partibus sparsum.

An, ut medici putarunt multi, pus vitiatum quodammodo, et a lymphaticis haustum, febrem illam, quam *Hecticam* dicunt, gignat? Nec pauci profecto eam mereae debilitati et mobilitati nimis acri tribuerunt.

Postremo,

Postremo, Absorbentia, ut quibusdam placuit, vel a crimoniam illam cognoscunt, vel, saltem genitam, hauriunt, quae postea in glandulis conglobatis disposita inflammationem scrofulosam incitat.

420, *Noxia multa in corpus a vasis absorbentibus extrinsecus recipiuntur.* Supra dixi, contagiones multas, forsan omnes, quaecunque sint, per vasa absorbentia patula corpus ingredi. Nec pauci, etiam clari nominis, crediderunt, venena certa, quae effectus dirissimos ediderunt, a lymphaticis solis superficiariis imbibita, in sanguinem introiisse.

T A N T U M.